Gratiam ac pacē per christū Iesum servatorē
nrm. Quod humanitati tuę scribo, virorum
ornatissime, partim facit praesentium temporum
calamitas, qua iam plerique boni viri
premuntur, partim depraedicata passim
humanitas tua ac benevolentia, qua
illos complecteris, qui propter Evangeliū
christi affliguntur: e quorum numero
me quoque Dns, licet indignum, esse voluit;
illi sit gloria et gratiarum actio in
saeculum. Amen. Ut autem scias quo-
modo habeat exilium meū, paucis
historiā illius perstringā.
Postquam Augustani, quorum verbo in Evan-
gelio christi annos fere 18 ministravi,
neglecta illam religionis mutationem
collecto maiore Senatu, nō iudicio, sed metu
atque acceptarunt, quoniam in illam
religionis impurationem consentire nec potui
nec debui, dimissione petij, ac discessi.
Veni Tigurum, deinde Basileā ad Hervagiū
typographū, veterē amicū. Apud hunc
haesi aliquamdiu. Interea revocavi uxorē
ac liberos, quos novē habeo, Constantiā
iussique illic expectare adventū meū.
Illi relicta Augusta venerunt Constantiā:
quo et ipse, ut eos inviserē, 30 Julij
veni. In itinere transivi Tigurum denuo

ubi me fratres istic, viri doctiss: hu-
manissimi rursus, sicut & antea acce-
perunt: pollicitique sunt curaturos se,
ut vel apud ipsos vel alibi com-
mode consistere possem. Ut itaque con-
sumtu vini, mansi illic usque ad 6. Aug:
diem illum miserabilem & lugubrem, quo
miles Hispanus mane circiter quinta
urbem oppugnare coepit. Usus consilio
domini Ambrosij Blaureri, ut meis pro-
spicerem, una cum illis urbem egressus
~~sum~~ ac multitudinem mulierum, puerorum
senum, et peregrinorum, quibus una
& altera porta patebat, viarumque ignarus
sequutus sum. Cum aliquo usque
progressi essemus, tandem ad me re-
versus coepi interrogare, quorsum nam
tenderet iter, quod ingressi eramus?
respondebatur S. Gallum versus. Audito
hoc, intellexi non sine consilio dei
factum esse, quod, licet per imprudentiam,
id itineris cum familia mea ingressus
essem. Nam ante biduum cum Bischofcellam
transirem, reperi in pandochio legatos
vestros, Badensem conventum petentes,
qui me pro sua humanitate, ut ali-
quando Bischofcellam iterum inviserem, invi-
tabant. Veni itaque in hunc locum, non
sine grandi molestia, ubi tamen commo-
ditas nulla videtur esse diutius manendi.